

tiae, qui peculiaria in Theologia christiano-
rum practica tradi posse officia, suo mini-
me comprobare calculo visi sunt: ipsa hu-
ius compendii docebit perlustratio. IPSE
ille in prolegomenis, huic compendio
praemissis, nec non in prima eiusdem
parte adseruit, officia christianorum non-
nisi hominis officia esse naturalia, applica-
ta ad noua in regno gratiae obiecta, pra-
cticamque christiani Theologiam motiua et
media sublimiora ad eorum custodiam ex
reuelatione repetere vnice debere. Quo
etiam factum esse ego quidem existimo, vt
christianorum officia, ab IPSO delineata,
ab officiis naturalibus haud adeo diuersa,
fuerint proposita. At enim vero ex illa ipsa, a
B. AVCTORE suppeditata, officiorum rege-
niti definitione, eorum, a naturalibus homi-
nis officiis, haud exigua certe, apparebit
diuersitas; quam vero in ipsorum, qua
officiorum, delineatione non satis, mea
quidem ex sententia, detegendam curauit.
Eam vero tractandi rationem, tum ipsi,
tum